De ſatisdatione.

14. Iidem AA. [1].

PRivatæ, vel lintearíæ [2] veſtis magiſtri [3], theſaurorum præpoſiti [4], vel baphiorum, ac textrinorum procuratores [5], cæterique quibus hujusmodi ſollicitudo committitur, non ante ad rem ſacri ærarii procurandam permittantur accedere, quam ſatisdationibus dignis [6] eorum adminiſtratio roboretur: ſcituri, nec proſecutorias [7] quidem ſacras poſthac ſibimet poſtulandas.

De natis ex alterutro parente Conchylilegulo.

15. Iidem AA. [8].

QUi [9] aut patre [10] conchylilegulo [11] geniti probabuntur aut matre, memoratæ adſcriptioni obnoxios ſe eſſe non ambigant [12]. Dat. 10. Kalend. April. CP. HIERIO, & ARDABURO CONSS. 427.

De his, qui publicis corporibus adſcribuntur.

16.

NE quis, ut fit, publicis corporibus adſcribatur, niſi urgente neceſſitate, vel niſi ſit ex eo genere, & tam arte, quam ætate habilis [13], atque idoneus, actis apud præſidem provinciæ factis, & eſſe illum idoneum corpore deponente, rurſusque geſtis ad nos delatis, ut confirmentur divino oraculo noſtro vice probatoria [14]. Qui vero hæc non ſervaverit, neque ſolatia inde ulla percipiet, nec ullum cum collegio commercium habebit, ſed graviſſime coërcitus exilio perpetuo damnabitur extra provinciam, eisdem pœnis ſubjicitur, qui ei opem tulerit hac in re, & maxime præpoſitus.

TIT. VIII.

DE VESTIBUS HOLOBERIS [15] ET AURATIS [16], ET DE INTINCTIONE SACRI MURICIS [17].

1. Imppp. VALENTIN. VALENS & GRAT. AAA. Archelao Com. S. L.

AUratas [18] ac ſericas paragaudas [19] auro intextas viriles [20] privatis uſibus contexere [21] conficereque prohibemus: & in gynæciariis [22] tantum [23] noſtris fieri præcipimus. Datum 5. Non. Jul. Nebioduni. Accept. 15. Kalend. Auguſt. *Martianop.* VALENTINIANO N. P. & VICTORE CONSS. 369.

2. Imppp. GRAT. VALENTIN. & THEODOS. AAA. Floro P. P.

NEmo [24] [vir [25]] auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas: [niſi hi tantummodo quibus hoc propter [26] imperiale miniſterium conceſſum [27] eſt:] non enim levi animadverſione plectetur, quisquis vetito ſe & indebito non abdicaverit indumento [28]. Dat. 3. Kal. April. *Conſtantinop.* ANTONIO, & SYAGRIO CONSS. 382.

Non debent lanæ vel panni tingi aliquo colore ſimili colori muricis. Bart.

3. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA.

VEllera [29] adulterino colore fucata [30] in ſpeciem ſacri muricis intingere [31] non ſinimus: nec tinctum cum Rhodino [32] prius ſerico [33], alio [34] poſtea colore fucari [35]: cum [36] de albo omnium colorum tingendi copia non negetur: nam capitalem pœnam illicita tentantes ſuſcipient.

4. Imp. THEOD. A. Maximino Com. S. L. [37].

TEmperent [38] univerſi, cujuscunque [39] ſint ſexus [40], dignitatis, artis, profeſſionis, & generis ab hujusmodi ſpeciei [41] poſſeſſione, quæ ſoli [42] Principi ejusque domui dedicatur: nec pallia tunicasque domi quis ſericas [43] contexat, aut faciat. Quæ tincta [44] conchylio, quæ nullius [45] alterius permixtione contexta ſunt, proferantur ex ædibus, tradanturque tunicæ aut pallia ex omni [46] parte texturæ cruore infecta conchylii. Nulla ſtamina [47] ſubtexantur tincta conchylio, nec ejusdem infectionis arguto pectine [48] ſolidanda fila decurrant: reddenda ærario holobera [49] veſtimenta virilia [50] protinus offerantur: Nec eſt, ut quisquam de abjurato pretio [51] conqueratur: quia ſufficit calcatæ legis impunitas [52]. Ne quis vero nunc hujusmodi ſuppreſſione in laqueos novæ conſtitutionis incurrat: alioquin [53] ad ſimilitudinem læſæ majeſtatis periculum ſuſtinebit. Dat. 17. Kal. Febr. *Conſtantinop.* VICTORE V. C. CONS. 424.

5. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Apollonio Comiti ſacrarum largitionum [54].

PUrpuræ [55] nundinas, licet innumeris ſint conſtitutionibus prohibitæ, recenti quoque interminatione vetamus, & ideo ſeptimum de ſcrinio [56] exceptorum, ſextum de ſcrinio canonum, quintum de ſcrinio tabulariorum [57] ad baphia Phœnices per [58] certum tempus mitti præcipimus, ut omnis fraus eorum prohibeatur ſolertia, timentium ne quæſitis longo [59] ſudore ſtipendiis careant: etiam viginti librarum auri condemnatione propoſita. Dat. 8. Id. Mart. *Conſtantinop.* ISIDORO, & SENATORE CONSS. 436.

TIT. IX.

DE [60] FABRICENSIBUS [61].

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Tatiano P.P. [62].

OMnibus fabricis non pecunias [63] pro ſpeciebus, ſed ipſas ſpecies ſine dilatione inferri [64] præcipimus: ut venerabilis [65], & quæ facile deducatur [66] ignibus, ſeu liqueſcat ferri materies præbeatur: quo promptius adempta fraudibus facultate, commodo publico conſulatur. Dat. 15. Kal. Nov. THEOD. AA. II. & CYNEGIO CONSS. 388.

Primicerius fabricenſis per biennium habet vacationem a muneribus. Bart.

2. Iidem AAA. Rufino Magiſtro officiorum [67].

PRimicerium [68] fabricæ poſt biennium [69] non ſolum vacatione, verumetiam honore donari præcipimus: ita, ut inter protectores [ejusdem fabricæ per [70] biennium [71]] adoraturus [72], æternitatem noſtram ſuo quisque tempore dirigatur. Dat. 8. Id. Mart. *Mediol.* VALENTINIANO A. IV. & NEOTHERIO CONSS. 393.

Fabricenſibus tyronibus ſtigmata brachiis infliguntur. Bart.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Oſio Magiſtro officiorum [73].

STigmata (hoc eſt nota publica) fabricenſium brachiis [74] ad [75] imitationem tyronum [76] infligantur, ut hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci [77]: his, qui eos ſuſceperint [78], vel eorum [79] liberis ſine dubio fabricæ vindicandis [80], & qui ſubreptione quadam declinandi operis, ad publicæ cujuslibet ſacramenta militiæ [81] tranſierint. Dat. 18. Kal. Januar. *Conſtantinop.* HONORIO A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

1 Additur in quibusd. * *Com. S. L.* 2 Linteæ. 3 Magiſtri veſtis privatæ vel lintearíæ. 4 Præpoſiti theſaurorum. 5 Procuratores baphiorum ac textrinorum, ut *l. 2. ſupr. h. t.* 6 Digna ſatisdatio, idonea. Sic Plutarchus βεβαιωτὴν ἄξιον. 7 Proſecutoriæ, probatoriæ. *l. 9. infr. de diverſis officiis. l. 12. tit. 60.* 8 *C. Theod. h. t. l. 17.* ex qua hic adjiciendum: *Valerio Com. S. L.* 9 Hæc lex correcta eſt per *Novellam* 38. *c.* 6. 10 Liberi patris conditionem interdum ſequuntur, dixi ad *l. 7. ſupr. de rei vind.* 11 *Conchylio legulo*, in *C. Theod.* al. *conchylii legulo.* 12 Ambigunt. 13 Lex 2. & 14. ſunt de procuratoribus creandis: hæc de ipſis gynæciariis, vel monetariis, vel murilegulis, vel aliis, ut ne in ea corpora conſcribantur ſine ſacra probatoria, quæ & in aliis plerisque exigitur. *l. probatorias. infr. de diverſ. off. & edicto Juſtin.* 8. & 13. Mod. 14 De probatoria vid. *d. l.* 9.

15 *Holobaris*, Hal. ſed *holobera* veſtes nihil aliud, quam togæ ſericæ: βήρους enim Zonaras eſſe ait veſtes ſericas. vid. *hic* Alciat. 16 Veſtis holoſericæ, & auratæ fit hic mentio, utriusque par pretium, libra enim auri tunc libra ſerici erat, ut Vopiſcus ſcribit in Aureliano, & in lege Rhodia, ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ. 17 Sive ſacræ veſtis, al. *tinctione.* 18 *C. Theod. h. t. l.* 1. 19 Paragaudæ, veſtes auratæ, & ſericæ auro intextæ phrygio, vel barbarico opere, pro numero filorum aureorum intextorum, monolores, dilores, trilores, pentelores facit Vopiſcus in Aureliano. *Goth.* Quæ videntur lora appellaſſe, vel intexturam ipſam potius, ut non male in donatione Conſtantini ad Sylveſtrum, lorum, vetus interpres, *phrygium* reddiderit. Vide & Turnebum hic *adverſ. lib. 9. c.* 11. Mod. Onera vocari ab Ammiano refert Petr. Fab. 1. *Semeſtr.* 16. 20 Additur, *muliebres* in *C. Theod.* ſed hoc detractum eſt, quia eas matronis indulgebat Juſtinianus. *l. 2. l. 4. infr. h. t.* 21 Intexere. 22 Gynæceis. 23 Tantummodo. 24 *C. Theod. h. tit. l.* 2. 25 Abeſt a *C. Theod.* vid. *l. 1. ſupr. h. t. l. 4. infr. h. t.* 26 Principis miniſtro veſtis aurata permittitur, quæ aliis non permittitur. 27 Incluſa deſunt in *C. Theod.* 28 Indutu. 29 Colore adulterino lanam ita tingere, ut in ſpeciem tincta videatur muricis colore, capitale. 30 Id eſt, *tincta.* quidam legunt, *fuſcata*, ſed male. Dibaphæ ſeu bis tinctæ pretioſiores. Fulgentius, *Talo tamen recolligens bis tinctam veſtem:* Tibullus, *Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.* Cicer. 2. *epiſt.* *Curtius dibaphum cogitat, ſed eum inſpector moratur.* 31 Tingere. 32 Rhodinum ſericum, an a roſa, ut Accurſius putat? An a Rhodo inſula, ut Alciatus? an a roſæ colore (ῥόδον enim Græci roſam appellant) ut Forcatulus, *c. 21. penus.* eadem ratione, qua Rhodinum oleum Plinio, id eſt, e roſis, Rhodia radix Dioſcoridi, quod contritas roſas redoleat. Roſis enim purpureus color ineſt: & ut poëtæ fingunt, Veneris ſanguine tinctus, cum dea in roſas incidiſſet. Auſonius in Roſa, *Hanc tenui filo purpura rubra notat.* Claudianus in raptu Proſerpinæ, *Sanguineo colore roſas.* An vero legemus *Ianthino*, ut dixi ad *l. 2. ſupr. quæ res venire.* 33 *Sericum in quibusd. manuſc.* 34 Fit enim ut hac dibapha, ſeu hac duplici tinctione roſeum vellus efficiatur magis ſimile purpuræ. Niſi dicamus, alio externo colore tingi hic vetari. vide *l. 4. infr. h. t.* 35 Fucare eſt tingere. vid. Forcat. *c. 21. penus.* Goth. *Cruſtas* vocarunt, quibus alio admiſtus colori puri rubor muricis inardeſcit. *l. 2. C. Theod. de ſcenicis.* Fucare autem eſt tingere & colorare, *l. 1. ſupr. quæ res vendi non poſſ. l. ult. C. Th. de murileg.* Mod. 36 Senſus eſt, licet ſericum album, id eſt, crudum, nativumque quolibet alio colore inficere: tinctum Rhodino colore, non licet alio inquinare. 37 *Cod. Theod.* 10. 21. 3. 38 *l. 1. l. 2. ſupr. h. t. l. un. infr. Nulli licere in frenis. h. lib. tit.* 11. adde quæ ſcripſi ad *l. 9. ff. de injur.* 39 *Qui cujuscunque* in *C. Theod.* 40 Prohibitiones ut generaliores videantur, ſexum, dignitatem, artem, profeſſionem & genus admittentis in legem comprehendunt. 41 Species hic pro veſtibus accipit, ut *l. ult. infr. de militari veſte. l. 12. tit.* 40. 42 Principis veſtem nemo ſubditus imitari debet. 43 *Serica*, in *C. Theod.* 44 Color conchylii, & purpuræ ſoli Principi reſervatur. 45 Purpuræ cruſtæ (Cruſtas vocabant, quibus color alius purpureo eſt admiſtus. *l. 11. Cod. Theod. de Scenicis. l. 3. ſupr. h. t.*) nemini interdictæ, ad uſum tamen ſacræ domus fieri vetitæ. 46 Holopurpuræ veſtes, omni ex parte purpureæ: quibus nullus alius color immixtus. Hæ privatis interdictæ. 47 Purpuræ hæ textæ interdictæ; quas nominatim Leo interdicit *Novell.* 80. de quo vide quæ ſcripſi ad *l. veſtis.* 23. §. 1. *ff. de auro.* 48 Virgil. *Arguto conjux percurrit pectine telas.* Sic in *l. 31. ſupr. de Epiſc. Auri ſacra fames:* & in *Nov. Valentiniani de ſepulchris. Scimus enim, nec vana fides: & l. 4. C. Theod. de agent. in rebus.* vide *de domo.* 49 *Holovera*, *C. Theod.* id eſt, *holoſerica.* 50 Virilia ideo addidit, quod mulieribus eorum uſus non interdicitur. *l. 1. ibi, viriles. l. 2. ibi, vir. §. h. t.* Licet, inquam, mulieribus uti holoveris, & holoſericis auratis, vel auro intextis paragaudis: non viris. Quid ita? Ornatus, & cultus mulieris proprius eſt, non virorum. Purpuræ tamen, quæ ſerico ſemper pretioſior fuit, uſus mulieribus interdicitur. 51 Purpuram privati quam habent, ſacris theſauris reddere debent, minime recepto pretio. 52 Quædam detracta ſunt e *Cod. Theod.* 53 Purpuram privati poſt hanc legem habentes læſæ majeſtatis tenentur. Majeſtatis itaque crimen incurrit vel is, qui veſtes Imperatori proprias uſurpat: qui veſtibus iisdem utitur, quibus Imperator. 54 *Ex lib. 10. tit. 20. l. ult. C. Theod.* ſed multa hic ſunt immutata. 55 Purpuræ nundinæ, negotiationes & venditiones interdictæ privatis. *l. 1. ſupr. quæ res venire.* 56 Scrinia hæc largitionum fuere, ſcrinium exceptorum, canonum, tabulariorum, veſtiariorum. 57 Alc. hic legit, *de ſcrinio veſtiarii ad baphia Phœnices.* Addit Haloander, *quartum de ſcrinio veſtiariorum:* quod abeſt a *veterib. libr. & C. Theod.* 58 Cur phœnices baphia ſeu officinas tinctorias explorari jubet potius, quam alias? nempe quod ibi pretioſiſſima purpura, quæ dicebatur Tyria. §. 33. *Inſt. de action.* vel oſtrum Tyrium, a Tyro, colonia Phœniciæ. *l. 1. ff. de cenſibus.* 59 *Multo*, in *Cod. Theod.*

60 Περὶ ὅπλων καὶ ὁπλοποιῶν. *Eclog. lib. 57. tit.* 9. 61 Fabricenſes ὁπλοποιοὶ, qui in publicis Fabricis bellica arma fabricant. His ſolis arma fabricare licuit, non privatis. adde *Novell.* 85. & quæ ſcripſi ad *l. ult. ff. de jure immunit. l. ult. ſupr. de ſervis fugit. & Novell. Theodoſii, de bonis fabricenſ. l. ult. ſupr. de heredit. decur.* 62 *C. Th.* 10. 22. 2. 63 Ferrum adærare non debent fabricenſes, hoc eſt, purum ferrum fabricenſibus præſtandum, non pecunia pro ferro: ne alioquin vietum ferrum emant. 64 Additur in *C. Theod. in perpetuum ſervanda hæc forma.* 65 *Venæ nobilis*, in *vet. libr. manuſc. ut Caſſiodorus: Seculis ſuis producit nobilis vena primarios.* in *Cod. Theod. venæ nobiles.* 66 Reducatur. 67 Scripta eſt ad magiſtrum officiorum, ut 3. 6. 7. quia ſub ejus diſpoſitione fuerunt fabricæ & fabricenſes. Cujac. *hic, & Nov. de armis.* 85. 68 *C. Theod. h. tit. l.* 3. De præfectis fabrorum, 2. Veget. 11. 69 Primicerius fabricæ biennio primiceriatum fabricæ adminiſtrare debet, *ut hic:* idem in primicerio notariorum. *l. 2. infr. de primicerio. lib. 12. tit.* 7. 70 Incluſa deſunt in *C. Theod. & veter. quib. lib.* 71 Hyperbole, quam Ammianus *lib.* 15. irridet. Honor autem ille maximus, jus adorandæ ſcil. purpuræ ſacræ conſequi. 72 Corpora ſeu collegia non conditionalia perpetuos primicerios non habebant, ſed alias vel annales, biennales, triennales: qui poſt id tempus immunitatem conſequebantur. 73 *C. Theod. h. t. l.* 4. 74 Teſtis, qui eum, de quo agitur, ſe ex brachio vel facie recognoſcere teſtatur, probare intelligitur, facit *l. cum in diverſis.* 44. *ff. de relig.* Corſet. *ſing. Teſtis.* 75 Tyronibus ſtigmata inurebantur. Veget. 1. *c.* 8. Punctis ſignorum ſcribendus Tyro: & 2. *c.* 5. Puncturis in ante punctis milites ſcripti & matriculæ inſerti jurare ſolent. Greg. 2. *Epiſt.* Ælius Amidenus 8. *c.* 12. Eo alludit, *non Tyro quidem fidei, ſed miles & quidem magnus Jeſu Chriſti.* Paulus *Galat. ult. verſ.* 17. κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω, ἐγὼ γὰρ τὰ ςίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαςάζω. Eadem ratione aquarii in manibus ſignabantur: nomine principis eis impreſſo. *l. 10. in fin. infr. de aquæduct. h. l. tit.* 42. 76 Fabricenſium fuit militia quædam. vid. *l. 5. infr. h. t.* 77 Zaſ. 2. *conſ.* 6. hinc colligit, ſignatum ei competere, cui ſignum competat: ideoque jus venandi ei competere, cui ſit domus venatoria. 78 Vid. *l. 1. ff. de receptoribus.* 79 *Liberos*, in *C. Theod.* 80 Al. *Judicandis.* 81 Hinc conſtat, quandam eſſe fabricenſium militiam.

4. Impp.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Anthemio P. P. [1].

SI [2] quis conſortium fabricenſium crediderit eligendum in ea urbe, in qua natus eſt, vel in qua domicilium collocavit: his [3], quorum intereſt, convocatis, prius acta conficiat, ſeſeque [4] doceat [5] non avo, non patre curiali progenitum: nihil [6] ordini civitatis debere: nulli ſe civi commanere [7] obnoxium: atque ita demum geſtis confectis, vel apud moderatorem provinciæ, vel, ſi is abſit, apud defenſorem civitatis, ad militiam quam optaverit, ſuſcipiatur: quod ſi absque hac cautione [8] quispiam ad fabricenſium conſortium obrepſerit [9], ſciat ſe ad ordinis cui debetur, patriæque ſuæ munera [10], eſſe deducendum [11]: ita ut nulla eum, nec temporis [12], nec ſtipendiorum prærogativa defendat. Dat. 15. Kal. Jun. *Conſtantinop.* HONORIO IX. & THEOD. V. AA. CONSS. 412.

5. Impp. THEOD. & VALENT. AA. [13].

JUre proviſum eſt, fabricenſes artibus propriis inſervire: ut exhauſtis [14] laboribus immorentur [15] cum ſobole profeſſioni cui nati ſunt. Denique quod [16] ab uno committitur, id totius delinquitur periculo numeri [17]: ut conſtricti nominationibus ſuis, ſociorum actibus quandam ſpeculam gerant, & unius damnum ad omnium tranſit [18] diſpendium: univerſi itaque veluti in corpore unius formæ [19], unius decoctionis [20], ſi ita res tulerit [21], reſpondere cogentur. Dat. prid. Non. Novembr. CP. THEOD. A. XVI. & FAUSTO CONSS. 438.

Fabricenſes, & eorum uxores, & liberi durante officio, vel finito, non poſſunt niſi coram præfecto prætorio, vel magiſtro officiorum conveniri. Bart.

6. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Eufemio [22] mag. off.

EOs, qui inter fabricenſes ſacræ fabricæ ſociati ſunt, vel eorum uxores, aut filios, qui itidem inter fabricenſes militare dicuntur: non alibi pulſare volentibus reſpondere præcipimus, niſi in judicio tuæ ſublimitatis, ad cujus jurisdictionem, poteſtatemque pertinent: nec eos poſt ſtipendiorum finem, & militiæ, ſuper civilibus, vel curialibus muneribus, quibus nullo modo ſubjacere monſtrantur, a viris clariſſimis rectoribus provinciarum, vel eorum officiis præter licitum inquietari.

Prohibet fabricenſes aliquam adminiſtrationem, vel agriculturam adſumere. Bart.

7. Imp. ANASTASIUS A. Eufemio magiſt. off.

NUllus fabricenſium conductioni [23], vel adminiſtrationi, vel agriculturæ alienarum rerum ſe poſthac immiſcere conetur: dominis quidem, ſi [qui] contra hæc ſtatuta meæ pietatis venire auſi fuerint, res vel prædia, quæ ſcientes, quod Fabricenſes ſunt, iisdem Fabricenſibus miniſtranda commiſerint, amiſſuris: fabricenſibus vero graviſſime coërcitis [24], poſt facultatum ſuarum amiſſionem perpetui exilii pœna, & animadverſione retinendis. † Quotiens ſane in translatione [25] armorum angariæ [26] neceſſariæ fuerint, ſublimitas tua literas ad eminentiſſimam jubeat dirigi præfecturam: & numerum [27] ei armorum, & ex quo loco transferenda ſunt, indicare: ut continuo ſuper præbendis angariis pro numero eorum, quæ transferuntur armorum, præceptione ſua viros clariſſimos moderatores provinciæ conveniat [28]: ut ſecundum miſſam a ſublimitate tua notitiam, naves, vel angariæ confeſtim de publico præbeantur. Quod ſi aliqua tarditas, vel negligentia poſt datas a ſublimitate tua ad eminentiſſimam præfecturam literas, in deſtinandis auctoritatibus [29] ampliſſimæ tuæ ſedis interceſſerit, & ex hoc armorum transvectio fuerit impedita: [in [30]] quinquaginta libras [31] auri, tam numerarium pro tempore officii ejusdem ampliſſimæ ſedis, quam alios, quorum intereſt, condemnari præcipimus: eamque auri quantitatem protinus exactam fiſci juribus aggregari: multa præterea triginta librarum auri propoſita, tam viris clariſſimis, qui provincias regunt, quam eorum apparitoribus [32], ſi conniventibus his armorum ſubvectio tarditate aliqua fuerit præpedita [33].

TIT. X.

DE [34] VETERIS NUMISMATIS POTESTATE.

1. Impp. VALENT. & VALENS, AA. [35] Germano P. P.

SOlidos [36] veterum [37] Principum veneratione [38] formatos, ita [39] tradi, ac ſuſcipi ab ementibus, & diſtrahentibus [40] jubemus, ut [41] nihil omnino refragationis oriatur, modo, ut debiti ponderis ſint, & ſpeciei [42] probæ: ſcituris [43] univerſis, qui aliter fecerint, haud leviter in ſe vindicandum.

Minuta æſtimatione floreni, minuitur æſtimatio rerum, quæ venduntur ad florenum. Bart.

2. Iidem AA. ad Julianum P. P. [44].

PRo imminutione [45], quæ in æſtimatione ſolidi forte tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum [46] decreſcere [47] oportet [48].

Omnes aurei debent capi æquali æſtimatione, & contra faciens graviſſime punitur. Bart.

3. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Arintheo P. P.

UNiverſos auctoritas tua propoſito edicto commoneat [49] obryzatorum [50] omnium ſolidorum uniforme [51] pretium poſtulare: capitali ſcilicet ſupplicio puniendo, qui vel juſſa noſtræ majeſtatis [52] avaritiæ [53] cæcitate contempſerit, vel æternales [54] vultus, dum fraudibus ſtudet, duxerit violare [55].

TIT. XI.

NULLI LICERE IN FRENIS ET EQUESTRIBUS SELLIS ET IN BALTEIS MARGARITAS ET SMARAGDOS ET HYACINTHOS APTARE, ET DE ARTIFICIBUS PALATINIS.

1. Imp. LEO A. Leontico.

NUlli [56] prorſus liceat in frenis, & equeſtribus ſellis, vel in balteis ſuis margaritas, & ſmaragdos, & hyacinthos aptare poſthac, vel inſerere: aliis autem gemmis frena, & equeſtres ſellas & balteos ſuos privatos exornare permittimus. De cucurniis [57] vero omnem prorſus qualiumcunque gemmarum habitum [58] præcipimus ſubmoveri: fibulis [59] quoque in chlamydibus his utantur, quæ ſolo auro, & arte pretioſæ ſunt. Si quis autem contra interdictum

1 *C. Theod. hoc tit. l.* 6. 2 Forma fabricenſes creandi. 3 Citandi ſunt quaque in re hi omnes, quorum intereſt. *l. de unoquoque.* 47. *ff. de re jud.* 4 *Seſe doceat*, in *C. Theod.* 5 Probat autem id, ſi doceat, quo patre natus ſit. 6 Negativam negans probare cogitur, ſi totius intentionis ea cauſa ſit. 7 *Civico muneri*, in *C. Th. h. t. & lib. Aufred. & Dionyſ.* 8 Curatione. 9 Oppreſſerit, al. *appreſſerit.* 10 Sua. 11 *Rovocandum*, in *C. Th.* 12 Vid. *l. 35. §. de decur.* 13 Ex *Nov. Theod. & Valent.* in qua additur, *Aureliano C. R. P.* ut emendat Pithœus. 14 *Exhauſti*, in *Nov. Th.* 15 *Immoriantur*, in *Nov. Th.* 16 Delicto unius, alter obligari, teneri & puniri interdum etiam poteſt, *ut hinc colligunt, & l. ult. ſupr. de naufrag.* unde notant, ſtatutum Florentinorum defendi, quo cavetur, ut uno agnationis delinquente cæteri agnatorum teneantur. adde *l. ult. §. de primipilo. lib. 12. tit. 63. l. 1. in fin. ſupr. ne filius pro patre.* Corſetum *ſing. ſtatuto Florentinorum.* 17 *Numeri* verbum *hic, & l. ult. §. h. t. militare:* ut hinc conſtet Fabricenſes fuiſſe gradus militiæ, *ut hic.* Inde tyronibus comparantur. *l. 3. ſupr. h. t.* 18 *Tranſeat*, in *Nov. Th.* 19 *Uniformi viſus*, in *Nov. Theod.* 20 *Cognitionis*, emendant quidam. al. *decoctioni.* Decoquere vero eſt intercipere, adminiſtrare. *l. 12. ſupr. de ſuſc. l. 10. tit. 70. l. 9. Cod. Theod. hoc tit. l. ult. ſupr. de hered. decur.* Goth. Sed potius eſt *l. decoctionis* quaſi univerſi videantur decoxiſſe, quod unus decoxit; & hoc eſt, quod ait *l. ult. ſupr. de hered. decur.* quæ hujus pars altera eſt, fiſco omnes pro intercepto reſpondere cogi. *Mod.* 21 Retulerit. 22 Eufinio. *al. Euſenio.* 23 Conductores & adminiſtratores eſſe alienarum rerum, fabricenſes prohibiti. *ut hic. l. 5. C. Theod. h. t.* quemadmodum & milites. *l. milites.* 31. *ſupr. de locato.* Goth. Idem Leo, qui militibus interdixit alienarum rerum conductione & procuratione *l. milites. ſupr. de locat.* ead. fabricenſib. interdicit hac conſtitutione, quod & in militib. antea fuerat conſtitutum. *l. ſi militem. §. de condict. ob cauſ. dat.* & in fabricenſibus. *l. 5. C. Th. hoc tit.* putat apud eruditiſſ. Cuj. etiam fidejuſſione iis interdicendum pro alienarum rerum conductoribus aut procuratoribus exemplo militum. *d. l. milites.* & clericorum. *Nov.* 123. Mod. 24 Coërcendis. 25 De numeris militaribus adde *l. 6. §. h. t.* 26 Angariæ ſunt præſtationes provincialibus militibusque onerum vehendorum bajulandorumve cauſa impoſitæ, id eſt, jumentorum vel plauſtrorum præſtationes. 27 Arma uti transferenda ſint. 28 Conveniant. 29 Auctoribus. 30 Al. *deeſt.* 31 Libris. 32 Apparitionibus. 33 Impedita.

34 Περὶ νομισμάτων παλαιῶν. *Syn. Baſil. lib. 54. tit.* 18. de veteribus ſolidis adde *l. 1. C. Th. ſi quis ſolidi circulum exteriorem, Novell. Theod. de pretio ſolidi.* Goth. Poſt Budæum & Portium ſcripſit hac de re utilem libellum eruditiſſ. Covarruvias. præter quem vide Briſſonium *lib. 1. ſelect. Antiq. cap. 18. & tractatus de monetis Coloniæ ſimul impreſſos.* Mod. 35 *Al.* Conſtantinus A. 36 Similis eſt conſtitutio *in C. Theod. l. ſi quis ſolidi circul. exter.* Solidi formam (τύπον Græci vocant) habentes, ſine omni refragatione tradantur & ſuſcipiantur, modo pondus & ſpeciem probam (hoc poſtremum εἶδος καλὸν) habeant. *Syn. ib.* 37 Dubitandi ratio videbatur, quod nummorum veterum uſus ipſa vetuſtate ſatis ſublatus videretur. 38 Monetis aureis vultus ſuos Romani Principes etiam impreſſerunt. Ac proinde ſolidi Principum veneratione formati hic ſunt aurei, quibus inſculptæ ſunt facies veterum Principum: æternales vultus in *l. 3. §. h. t. l. 6. C. Theod. de jud. cr. Sacrum os & divini vultus.* vide apud Paulum 5. *ſent.* 25. §. 1. Vultu principum qui monetam conflat privatim, teneri lege Cornelia dicitur. Statius, *Quæ divum in vultus igni formanda liqueſcat Maſſa, quid Auſoniæ ſcriptum crepet igne monetæ.* Et ita omnis generis monetæ ſuos vultus impreſſiſſe reges Gothos, refert Caſſiodor. 7. *Variar.* Idem Francorum reges. Perſis autem religio, argento vultus ſuos imprimere, non auro, Procop. 3. *de bello Gothor.* Juvenalis 14. eleganter pecuniam argenteam appellat, *Conciſum argentum in titulos, faciesque minutas.* Hinc fortaſſis ab Apoſtolo: Avaritia dicitur Idolorum ſervitus, a pecudis Titulo & figura, Pecunia videri poſſit dicta: ut a victoria, bigis & quadrigis nummo impreſſis, victoriati, quadrigati nuncupati. Æris nota fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis. vid. 33. *Plin.* 3. 39 In nummis hæc tria conſiderantur, τύπος βασιλέως, σταθμὸς, καὶ εἶδος καλόν. Forma principis, pondus, ſpecies proba *Græcis.* In numiſmate tria quæruntur, metallum, figura & pondus: ſi ex iis aliquid defierit, numisma non erit. 10. Iſid. 57. *in fin.* 40 Id eſt, ab his quicquid emunt venduntve. Quia ſolidi veteres principum interdum vendi ſoliti. dixi ad *l. 9. §. 2. ff. ad l. Corn. de falſis.* 41 Nummos probos monetamve vultu principum ſignatam, præter adulterinam, id eſt, ſi non adulterina ſit, reprobans, lege Cornelia de falſis tenetur. Paul. 5. *ſent.* 25. §. 1. Cedren. in Niceph. Phoca: νόμους καὶ ἔθους ὄντων, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν εἰσφέρειν, καὶ ἔχειν ἔτυμον, & *l. 1. C. Theod. ſi quis ſolidi circulum exteriorem.* conſtituitur, ut omnes ſolidi uno pretio æſtimentur atque vendantur, & in *Novella Theodoſii de pretio ſolidi:* Ne inſigniti ſolidi aurei veterum Imperatorum nominibus, ab ullo emptore recuſentur, & ut ne minoris diſtrahantur, quam empti ſint a collectario. adde Leonem *Novell.* 52. Arrianum ad Epictetum 3. Pragmaticam Juſtiniani ad Vigilium de mutatione ſolidorum. 42 Speciem hic interpretor materiam ipſam nummi, quæ & qualitas. Porro materia ipſa ex metallo. In nummis vero tria præcipue metalla, aurum, argentum, æs: unde Triumviri monetales, auri, argenti, æris flatores. *l. 2. §. 30. ff. de origine juris.* Plautus in Moſtellaria quendam accuſat, qui plumbeos cudere ſolebat. Stanneis uti ſuos Siculos aliquando coëgit Dionyſius Tyrannus: Spartanis, ut & Byzantiis ferrea fuit etiam pecunia. Ærosæ meminit Juriſconſultus. *l. 102. D. de ſolut.* Leo Novella 52. hæc conjungit, ἀπαραποίητον τὴν μορφὴν ὕλην ἀκίβδηλον ὁλκὴν τέλειον. 43 Monetam publicam majori vel minori pretio dare & accipere non licere, quam ſit publica indicatura ſeu æſtimatio, hinc colligit Molinæus *tract. de uſuris, quæſt.* 100. *num.* 814. Unde rurſus notat, pactum contrarium non valere: neglectoque pacto ſecundum æſtimationem publicam eſſe recipiendam. Uſum monetæ & ejus probitatis, juris eſſe publici. *l. 1. D. de contrah. empt.* quod pactionibus privatorum mutari non poſſit. *l. Jus publicum.* 38. *D. de pactis.* ſufficere debitam pecuniam ſolvere ſecundum uſum & probitatem publice definitam tempore ſolutionis. Pecuniam publice ſignatam, in diſpoſitionem deduci non poſſe tanquam maſſam, ſed tanquam pecuniam publicam. Fore alioqui in hujusmodi ſpeciebus magnam captionem & quaſi aleam. 44 Is Præf. annonæ. vide *l. 2. C. Theod. de canone frum. urb. Rom. & l. 1. §. de canone frum. urb. Rom. h. lib. tit.* 22. 45 *Minutione*, ſed Græci κατὰ τὴν μείωσιν &c. pro imminutione ſolidorum, venalium quoque rerum pretia minuantur. *Syn. Baſil. ibid. c.* 1. 46 *Specierum* voce Græci hic accipiunt τὸ τίμημα τῶν ὠνίων, pretium rerum venalium. *Syn. ib. c.* 2. Hotomannus *c.* 15. *Illuſtr.* vero non res ipſas, ſed ſpecies alias monetæ & pecuniæ accipit: ut una cum aureo gradatim omnes reliquæ monetæ pro rata cujusque portione decreſcant. De quo dubitari poteſt merito. 47 Pretium rei decreſcit, ſi decreſcit moneta, *ut hic*, per contrarium augetur pretium, moneta augeſcente. Eadem enim eſt contrariorum poteſtas, ut Ariſtoteles ait *lib. 2. de Cœl. cap.* 3. Quid, qua de imminutione nummi hic agitur? An de ea, quæ fit abuſu & tyrannide principis: an potius de ea, quæ fit ex juſta cauſa & ad alias monetas proportione? Hoc poſtremum putat Molinæus *tract. de uſuris quæſt.* 93. *num.* 716. Omnibus monetis pari proportione, minutis vel auctis, novum pretium ſubire locum veteris, auctaque vel minuta pretia videri. Aureo tantum minuto, cæteris monetis in ſuo ſtatu manentibus, pretia in ſuo ſtatu manere aliarum monetarum reſpectu. Reſpectu vero aurei minuti, non minui ſed augeri pretium. Quæ ſumme notanda ſunt, cum in pecuniis mutuis poſſint eſſe uſui. *l. 59. D. de verb. obl.* Solvi enim aurei pro aureis poſſunt, ſive aucta, ſive deminuta ſit eorum æſtimatio. Plin. 33. *c.* 3. Conſtitutum eſt, inquam, ut aſſes, qui librales erant, ſextantario pondere ferirentur, ita quinque partes factæ lucri, diſſolutum æs alienum. *Goth.* Hujus l. interpretationem vide *Cenſur. Forenſ. noſtr. lib. 2. cap. 8. num.* 13. S. L. 48 A. D. 366. 49 Nemo ſolidorum obryzorum (Græci ὄβρυζα) diverſum pretium inducat. Nam capitali ſupplicio punitur, qui obryzos ſolidos antiquos levius æſtimat. *Syn. ibid. cap.* 3. 50 Qui ex auro optimo & puriſſimo conflati ſunt. Plin. ſcribit obryzum aurum vocari, quod cum igne probatur, ſimili colore, quo ignis rubet. obryzatorum porro fit mentio in *l. unic. §. de oblat. vot. l. 12. tit.* 49. 51 Pretium uniforme ſolidorum. 52 Al. *ſerenitatis.* 53 Vide *l. 6. §. de munerib. patrim. l. 10. tit.* 41. 54 Vide quæ de vultu principum monetis inſculpi ſolito ſcripſi ad *l. 1. §. h. t.* 55 *Viliores in quib. lib. manuſc.* quod magis probat Cujac. *ex lib.* βασιλικῶν. 56 Adde *l. 1. §. de veſtib. holoberis. h. lib. tit.* 8. 57 Al. *curcumis.* Azo, qui ait eſſe, eam partem freni equini, quæ ori equi imponitur & vulgo morſus equi appellatur Cujacius tamen magis probat cucurmiis, vel cucumiis. Quibusdam Curcuma vox Chaldaica videtur, quæ ſandalium ſignificat. Heſychius tamen cucurmam interpretatur, ca mum genus ornamenti equeſtris, quod freni, vel oreæ vice ſit, ut illo loco Pſalmi ἐν κημῷ ἐν χαλινῷ, ut poſt Enimundum Bonæfidium ſcribit Cujac. 11. *obſ.* 20. Ego phaleras interpretor: ut in Commentariis ad hunc locum dicemus aliquando plenius. 58 Ambitum. 59 Vide Alciat. *hic.* & Panciroll. *rer. memorabil. tit. de fibula.* & *ibid. in not.* & de habitu Imperatoris apud eundem *tit. de habitu Imperatoris.* Auſ.

pietatis meæ fecerit, ſciat ſe continuo quinquaginta libris eſſe multandum. † Nulli præterea privatorum liceat (exceptis [1] ſcilicet ornamentis matronalibus, & tam mulierum quam virilium annulorum habitu) aliquid ex auro, & gemmis [2], quod ad cultum, & ornamentum Imperatorum [3] pertinet, facere: neque illud ſub [4] hoc colore, & prætextu præparare, quod [5] velit clementiæ principali velut aliquod munus offerre: pietas enim mea hujusmodi dona non expetit, neque regium [ſibi] offerri a privatis cultum requirit. Sane ſi quis poſthac aliquid contra vetitum hujusmodi ſanctionis effecerit, & offerenda clementiæ meæ ornamenta, quæ uſibus regiis deputata ſunt, auro gemmisque decorata, auſus fuerit præparare: centum librarum auri condemnatione ſciat ſe eſſe feriendum: capitali quoque ſubdendum eſſe ſupplicio. Ornamenta enim regia intra aulam meam fieri [a palatinis] artificibus debent: non paſſim in privatis domibus vel officinis [5] parari. Unde ſumma ſeveritate ſancimus, ut quod in cultu ornatuque [6] noſtro ſacrum, & adoptabile [7] eſt, id facere temeritas privata non audeat. Si quis ſane contra vetitum tranquillitatis meæ aliquid fecerit, deſtitutam ſuperius multam ab his per officia [8] palatinorum exigi, & ſacris largitionibus noſtris jubemus inferri.

TIT. XII.
DE CLASSICIS [9].

1. Impp. VALENTINIANUS & VALENS AA. Auxonio [10] P. P. [11].

Claſſem Seleucenam [12] aliasque univerſas ad [13] officium, quod magnitudini tuæ obſequitur, volumus pertinere: ut claſſicorum numerus ex incenſitis [14] vel accreſcentibus [15] compleatur, & Seleucena [16] ad auxilium purgandi Orontis neceſſitates comiti Orientis [17] deputetur. Datum Indictione XII.

TIT. XIII.
DE DECURIALIBUS [18] URBIS ROMÆ.

1. Impp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Triſolium P. U. [19].

Si quis decurialem de auferendis privilegiis putaverit lite pulſandum, intelligat ſe curiæ [20] interpellare debere judicem [21]. Dat. 14. Kal. Februar. *Mediolani*, TIMASIO & PROMOTO CONSS. 389.

2. Impp. HONOR. ARCAD. & THEOD. AAA. Exuperantio, Julio, & cæteris decurialibus [22].

Leges decuriales tam a ſuperioribus Principibus, quam a divo parente [23] noſtro conditas, noſtra auctoritate firmamus. Singulos itaque Judices ſcire volumus, ne quis huic collegio injuriis [24] corporalibus tentet notam atterere, neque ab his commodis, quæ rationibus approbantur, audeat ſeparare: huic enim collegio volumus antiquam privilegiorum prærogativam ſervari. Dat. 8. Id. Jul. *Romæ*, HONORIO A. VI. & ARISTÆNETO CONSS. 404.

TIT. XIV.
DE PRIVILEGIIS CORPORATORUM [25] URBIS ROMÆ [26].

Incolæ urbis Romæ gaudent privilegiis civium. Bart.

1. [27] Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. ad Alypium P. U.

Nulli ſit [28] liberum, nulli permiſſum, ut novum aliquid urbis incolæ in urbe ſuſtineant: ſed [29] in honorem æternæ urbis corporatis indulta ſuffragia valere præcipimus. Cura [30] autem Rectorum provinciarum corporati urbis Romæ, qui in peregrina transgreſſi ſunt, redire cogantur: ut ſervire [31] poſſint functionibus, quas impoſuit antiqua ſolennitas. Dat. Prid. Id. Jul. *Aquilan.* TATIANO & SYMMACHO CONSS. 391.

TIT. XV.
DE PISTORIBUS [32].

1. Imp. LEO A. Viviano P. P.

Quicunque ex mancipiis [33] comitis horreorum dignitatem & officium, vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, ſeu quolibet alio [34] modo poſthac fuerit adſecutus: exutus dignitate, quam contra interdictum noſtræ ſerenitatis adeptus eſt, multatus etiam viginti libris auri, ad antiquum [35] denuo conſortium collegiumque revocetur: omne etiam ſpeciale beneficium, quocunque modo contra hanc ſanctionem fuerit impetratum, penitus conquieſcat.

TIT. XVI.
DE SUARIIS [36] ET SUSCEPTORIBUS VINI [37] [ET CÆTERIS CORPORATIS [38]].

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Albinum P. U. [39].

Porcinarii [40] urbis æternæ, cum pervigilem laborem populi Romani commodis exhibeant: ſordidis ſemper muneribus liberentur. Dat. 8. Kal. Septembr. *Romæ*, TIMASIO & PROMOTO CONSS. 389.

Prætor urbis eſt judex porcariorum, five ipſi agant, five conveniantur. Bart.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Florentio P. P. [41].

Quicunque ex corporibus [42] ſuariorum, five excipiendæ neceſſitate litis adſtrictus, five inferendæ voluntate ſpontanea provocatus judicium voluerit experiri: fori urbani auditorium [43] præſtoletur. Dat. 18. Kal. Februar. *Romæ*, BASSO & PHILIPPO CONSS. 408.

TIT. XVII.
DE COLLEGIATIS [44], ET CHARTOPRATIS [45], ET NUMMULARIIS.

Qui intrat unum collegium, & munera, ad quæ ordinatus eſt, non exercet: non effugit munera alterius collegii, de quo exivit.

1. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Cyro P. U.

Qui [ſub [46]] prætextu decanorum [47] ſeu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis ſe muneribus conantur ſubtrahere [48]: eorum fraudibus credimus eſſe obviandum: ne quis ſub ſpecie muneris, quod minus exequitur, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum, vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo collegiati, vel decani feſtinant. Ideoque ſi quis eorum ſub nudæ appellationis velamine collegiatum ſe vel decanum appellat: ſciat pro ſe alium ſubrogandum, qui prædicto muneri ſufficiens approbetur: ſubrogatione videlicet [49] memoratorum, vel eorum qui moriuntur, primatum ejus [50], qui ſubrogatur, admiſſa [51] judicio.

Qui ſupra numerum admittuntur in collegio, non gaudent beneficio collegii. Bart.

§. 1. Quod autem ſupra [52] numerum, qui in cautis [53] brevibus continetur, nemo ſe quolibet patrocinio, vel cujuslibet adſumpta potentia debeat excuſare, hoc noſtræ eſt ſerenitatis cenſere, & tuæ ſublimitatis cujuſque officii cautius obſervare. Hoc inter omnes æqua lance ſervari præcipimus: nullo divinæ domus patrocinio, nulla ſacroſanctarum eccleſiarum reverentia, nulla qualibet, vel cujuslibet potentiæ excuſante. † Sed ne tantum circa munera relevanda ſupplicibus conſuluiſſe noſcamur: illud etiam dicendum [54] obſervandumque eſſe cenſemus, ut chartæ [55] venditoris, quæ de provinciis ad corporatorum ſupplicium per invocationem [56] tranſlata eſt, primæ conſtitutionis terminis concludatur [57]: hoc eſt, quod in initio diſpoſitionis conſtitutum eſt [58], id in poſterum nulla addita [59] novatione ſervetur. Dat. 10. Kalend. April. THEOD. XVII. & FESTO CONSS. 439.

TIT. XVIII.
DE STUDIIS [60] LIBERALIBUS URBIS ROMÆ, ET CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. [61] Impp. THEODOSIUS & VALENTIN. AA. P. U. [62].

Univerſos [63], qui uſurpantes [64] ſibi nomina *magiſtrorum*, in publicis magiſtrationibus cellulisque collectos undecunque diſcipulos circumferre conſueverunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoveri: ita ut ſi quis [65] eorum poſt emiſſos

1 Vide *Novell. Leon.* 81. 2 Ornatum Imperatorum. 3 Super. 4 Qui. 5 *Officiis.* quod magis probat *Cujac.* 6 Ornamentoque. 7 Optabile. 8 Id eſt, officiales Comitis ſacrarum largitionum.

9 *Claſſici*, milites deputati navibus amnicis purgandorum fluminum & aliarum neceſſitatum gratia. 10 Orientis. 11 *C. Theod. hoc tit. l.* 1. 12 Claſſes variæ pro regionum & fluminum varietate fuerunt. 13 Jurisdictionem in mari adjacenti, quousque magiſtratus exercere poſſe hinc colligunt: ut non ſolum puniant delinquentes in ipſis mediterraneis locis ſui territorii, ſed & in mari, ſub territorio adjacenti. vide Corſetum *ſingulari jurisdictio.* 14 Incenſiti, colonariæ conditioni minime adſcripti, *l. ſicubi.* 6. *C. Th. de cenſ. ſive adſcript. l.* 6. *l.* 7. *C. Theod. de tironib.* 15 Adcreſcentes, qui ex Claſſicis nati. *Goth.* Ut in *l. ſicubi. C. Theod. de cenſ. vel adſ. l.* 6. *Cod. Theod. de tyron.* Mod. 16 Orontis fluvii, qui amnis eſt Syriæ Seleuciam affluens. 17 Quippe Seleucia ipſa, de qua hic, in Syria & Oriente.

18 Al. *curialibus. in C. Theod. Decuriis.* Corpus decurialium fuit Romæ. *C. Th.* Caſſiod. 5. 19 *C. Theod. l.* 14. *tit.* 1. *l.* 3. *verſ. ſi quis.* 20 *Decuriæ, in C. Theod. & quibusd. manuſc.* erant autem decuriarum urbis Romæ judices, qui etiam a Caſſiodoro rectores appellantur. 21 Hodie principem, *Novell.* 151. 22 *C. Theod.* 14. 1. 4. 23 Al. *patre.* 24 Vide *l.* 33. *ſupr. de decurionibus.*

25 *Corporati*, ſunt uſibus & neceſſitatibus populi Romani deſtinati, ſic dicti, tanquam ex corpore civitatis, vel collegii: de iis autem ſequentibus titulis ſingulatim tractatur. 26 Fuere & in aliis urbibus corporati. *l. ult.* ꝟ. *de navicul. Nov. Valent. de epiſc. jud.* ſed non privilegiati. *Mod.* 27 *Al.* Imppp. Valentinianus, Theodoſius & Arcadius AAA. ad Alypium P. U. 28 Hæc conſtitutio ex 2. 3. & 4. conſtitut. conflata eſt, quæ extant in *C. Theod. lib.* 4. *tit.* 2. quare ex eo loco pete inſcriptiones & conſules, commode enim hic reponi non poterant, niſi hæc conſtitutio rurſus diſſoluta fuiſſet in tres illas conſtitutiones. 29 *l.* 3. *C. Th.* 30 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 31 *l.* 50. ꝟ. *de decurionibus.*

32 Piſtores hi mancipes dicti: pani civili conficiendo obnoxii. *l.* 1. *l.* 2. ꝟ. *de frumento urbis Conſtantinop. h. lib. tit.* 23. 33 *Mancipibus, in lib. Aured. & al. veter.* vide *hic* Cujac. Goth. Et omnino legendum, *mancipibus.* fuit enim in urbe certum corpus piſtorum, qui pani civili conficiendo obnoxii erant: atque hos mancipes vocat *l.* 1. & 2. ꝟ. *de frument. urb. Conſtant. l.* 18. *C. Th. de piſtor. l.* 4. *C. Theod. de exec. & exact.* & ſic Prudentius dixit, *mancipem carceris*, *mancipem ſutrinæ.* Plinius *mancipem divinitatis*, Tertullian. Conſtituitur autem hac lege, ut mancipes ſive piſtores, qui Comitis horreorum dignitatem adepti fuerint, piſtrino reddantur, cum non liceat piſtoribus ad hanc dignitatem adſpirare. Vide & Marcum Vertran. *de jure lib. c.* 20. Mod. 34 Quoquo modo. 35 Mancipium, & recte, ut etiam conſtat ex *l.* 18. *C. Theod. h. t.* ubi piſtores mancipes appellantur, & eorum mancipatus fit mentio. adde 12. *C. Theod.* 16.

36 *l.* 2. ꝟ. *h. t.* & porcinariis. *l.* 1. ꝟ. *h. t.* 37 Suſceptores vini fiſcalis, caupones vocat, qui fiſcale vinum populo vendebant. Vinum enim perraro populo gratuitum dabatur. Vopiſcus *in Aureliano.* Goth. De his tamen ſuſceptoribus hoc titulo nihil continetur, nec de aliis quam de ſuariis quidquam. Sed putat Cujacius de ſuariis conſtituta, ad cæteros quoque eſſe porrigenda. *Mod.* 38 Deſunt in plerisque lib. 39 *C. Theod.* 14. 4. 6. ſed vide, multa enim hic detracta ſunt. 40 Porcina gratuito P. Romano dabatur. 41 Al. *Hilario P. V. ut C. Theod.* 14. 4. 8. *Unde ſumpta eſt hæc conſtitutio.* 42 Al. *corporalibus.* 43 Adjutorium.

44 *Collegiati*, συστηματικοὶ, quorum corpus incendiis arcendis deſtinatum. Symmachus *de corporib. ad Valentinianum*, ex diverſis corporibus aſſumpti. *l. pen.* ꝟ. *de commerciis.* 45 Vide Alciat. *lib.* 21. *prætermiſſ.* Budæum *in annot. poſterior. ad Pandect. & Pyrrhum hic.* 46 Jam ſemel poſita fuit hæc *l. ſub tit. de ſacroſ. eccleſ. l. qui ſub prætextu.* 9. 47 Decani, lecticarii, copiatæ, veſpillones, *l.* 4. *ſupr. de ſacroſ. eccleſ. Novell.* 3. & 43. 59. *l. ſi qua.* 22. §. 1. ꝟ. *de epiſcopis*, *l.* 15. *C. Theod. h. t. l.* 1. *C. Theod. de luſ. col.* Epiph. 3. *tom.* 7. *in fin.* vide Forn. 2. *ſelect.* 21. Goth. Horum vero & illorum certum numerum fuiſſe oſtendit *l. pen.* ꝟ. *de comm. & merc. & d. l.* 4. *ſupr. de ſacr. eccl.* quem nemo ab aliis muneribus quaſi ſit ex decanorum vel collegiatorum corpore, vacationem obtinere poteſt, nec ſi ei ſuffragetur eccleſia, vel principis domus, vel quælibet alia poteſtas ſive dignitas. *Mod.* 48 Tributorum vitandorum cauſa eccleſiæ, vel cujuscunque alterius dignitate nomine abuti non oportet: idque, ne gravetur Reſpublica, quæ quo pluribus datur immunitas, eo certe majora tributa pendit. *l.* 12. *ſupr. de annon. & trib. l.* 10. *tit.* 16. *l.* 14. ꝟ. *de exact. trib. l.* 10. *tit.* 19. *l.* 2. ꝟ. *de privileg. domus Auguſtæ. h. lib. tit.* 74. *Nov.* 43. 49 Ubi videlicet. 50 Ei, qui. 51 Admiſſo. 52 Supernumerarius collegii, muneris, vel dignitatis alicujus beneficio ac privilegio dignitatis, vel collegii frui non poteſt. Corſetus *ſingulari ſupernumerar.* 53 *Encautis* emendat Cujacius. Encauta vero, ſive encautaria dicuntur monumenta civitatis ſive chartæ publicæ. *l.* 9. ꝟ. *de agric. cenſit. & col. h. lib. tit.* 47. 54 Edicendum. 55 Chartæ & chartariorum cura ſub P. urbi (ut docet hujus legis inſcriptio) pertinuit & ad Comitem ſacrarum largitionum, *Novell.* 44. Chartariæ autem Romæ, & Conſtantinopoli fuere in 4. regione. 56 Invocationem. 57 Emptoribus certæ in publico tabernæ (*banchum* Barbari appellant) ut & tabellionibus, commoda, & incommoda tabernæ cohærere notat ex hoc loco poſt Angelum Corſetus *ſing. Officium.* 58 Conſtitutum vel præceptum eſt. 59 Adita.

60 Scholam publicam aperuiſſe ſub Domitiano Quintilianum quidam ſcribunt: & a fiſco ſalarium accepiſſe, quod præſtat ex Sueton. in Veſpaſian. adſcribi. 61 *Al.* Impp. Theod. A. & Valentinianus C. Theophilo P. U. 62 *C. Theod. hoc tit. l.* 3. 63 Adde *l.* 1. ꝟ. *de profeſſorib. qui in urb. l.* 12. *tit.* 15. 64 Profitendi publice autoritatem nemo uſurpare debet: pœna alioqui infamia & urbe ejectio. 65 *Qui, in C. Theod.*

divinæ ſanctionis affatus, quæ prohibemus, atque damnamus, iterum forte tentaverit, non ſolum ejus quam meretur, infamiæ notam ſubeat, verum etiam pellendum ſe ex ipſa, ubi verſatur illicite, urbe cognoſcat. † Illos vero, qui intra plurimorum domos eadem exercere privatim [1] ſtudia conſueverunt, ſi ipſis tantummodo diſcipulis vacare maluerint, quos intra parietes domeſticos docent, nulla hujusmodi interminatione prohibemus. † Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii [2] auditorium conſtituti, hi omnibus modis privatarum ædium ſtudia ſibi interdicta eſſe cognoſcant: ſcituri, quod ſi adverſus cœleſtia ſtatuta facientes deprehenſi fuerint, nil penitus ex illis privilegiis conſequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti ſunt, merito deferuntur. † Habeat [3] igitur auditorium ſpecialiter noſtrum in his primum quos [4] Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero: Grammaticos [5] vero decem. In his etiam, qui facundia gravitatis [6] pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ [7], & Grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adoleſcentiam glorioſam optamus inſtitui: profundioris [8] quoque ſcientiæ atque doctrinæ memoratis magiſtris ſociamus auctores: Unum igitur adjungi cæteris volumus, qui philoſophiæ arcana rimetur: duos quoque [9], qui juris ac legum voluntates [10] pandant: ita ut unicuique loca [11] ſpecialiter [12] deputata adſignari faciat tua ſublimitas: ne diſcipuli ſibi invicem poſſint obſtrepere vel magiſtri: neve linguarum confuſio permixta, vel vocum, aures quorundam, aut mentes a ſtudio literarum avertat. Dat. 3. Kal. Mart. *Conſtantinop.* THEODOSIO A. XI. VALENTINIANO CONSS. 425.

TIT. XIX.
DE HONORATORUM VEHICULIS.

Antiquitus in ſignum dignitatis & honoris in dignitate poſiti ibant in curribus ſeu vehiculis. Bart.

1. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Nebridio P. U. [13].

Omnes [14] honorati [15], ſeu civilium, ſeu militarium [16], vehiculis dignitatis ſuæ [17], id eſt, carrucis [18], intra urbem ſacratiſſimi nominis ſemper utantur. Dat. 3. Kal. Februar. *Conſtantinop.* HONOR. N. P. & EVODIO CONSS. 386.

TIT. XX.
DE PRIVILEGIIS URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. [19] Philippo Præfecto Illyrici.

Urbs Conſtantinopolitana non ſolum juris Italici [20], ſed etiam ipſius [21] Romæ veteris prærogativa lætetur. Datum prid. Id. Jul. EUSTACHIO & AGRICOLA CONSS. 421.

TIT. XXI.
DE METROPOLI [22] BERYTO.

In eadem provincia poſſunt eſſe duæ matrices civitates. Bart.

1. Impp. THEODOS. & VALENT. AA. Hormiſdæ P. P.

Propter multas juſtasque cauſas metropolitano nomine ac dignitate civitatem [23] Berytum decernimus exornandam, jam ſuis virtutibus coronatam. Igitur hæc quoque metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de jure ſuo derogetur. Sit illa mater provinciæ majorum noſtrorum [24] beneficio: hæc noſtro, & utraque, dignitate ſimili perfruatur.

TIT. XXII.
DE CANONE [25] FRUMENTARIO URBIS ROMÆ.

Nauta debet confiteri ſe recepiſſe ſpecies incorruptas. Bart.

1. Imppp. VALENTINIANUS, VALENS & GRATIANUS AAA. ad Julianum PF. annonæ [26].

Nautici [27] apud Præſidum [28] aut magiſtratuum acta confiteantur incorruptas ſpecies ſuſcepiſſe, eorumque apud quos deponitur iſta teſtatio, præſens aſpectus probet nihil in his eſſe vitii: quod eo tempore quo ad ſacræ urbis portum pervenit, Præfecturam jugiter obſervare præceptum eſt. Dat. 18. Kalend. Jul. *Remis*, GRATIANO A. I. & DAGALAIFO CONSS. 366.

2. Impp. ARCADIUS & HONORIUS, AA. ad Senatum [29], & Populum.

Si quid [30] frumenti, vel hordei [31] urbicarii canonis remiſſione indultum eſt ſpeciali beneficio: contra commodum publicum [reſcripta [32]] elicita non valeant. Dat. 17. [33] Kal. Maji [34], *Mediolan.* CÆSARIO, & ATTICO CONSS. 397.

3. Iidem AA. Meſſalæ P. P. [35].

Neminem [36] patimur in mutando [37] canone urbis Romæ noſtræ clementiæ beneficium poſtulare, ſed etiam ea reſcripta quæ quoquo modo potuerint impetrari, ſuſcipi non ſinimus: eos vero qui contra hæc fecerint, in duplum retinendos eſſe decernimus. Vicarios, quinetiam cæteros Judices (niſi deinceps ab uſurpatione urbicarii canonis abſtineant) deportationis pœna detineri: primates officiorum capitali ſupplicio ſubjugari perpetua auctoritate ſancimus. Dat. prid. Non. Septembr. *Altino*, THEODORO V. C. CONS. 399.

TIT. XXIII.
DE [38] FRUMENTO [39] URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ [40].

Quod debet dari in pane, non debet ſolvi in frumento. Bart.

1. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. Urſo P. U. [41].

Nulli [42], ne divinæ quidem domui noſtræ, frumentum [43] de horreis publicis pro annona penitus præbeatur: ſed integer canon mancipibus [44] conſignetur annona in pane cocto domibus exhibenda: ita enim debet canon ab inclytæ memoriæ Conſtantino [45] præſtitus, necnon a divo pietatis meæ avo [46] [Theodoſio [47]] auctus expendi: quoniam creſcit inopia, ſi frumenta quæ pro annona tribuuntur [48], ad uſus alios deputata cognoſcantur: cogentur enim de publico ſibi emere, quæ aliis vendere potuiſſent. Dat. 10. Kal. Aug. *Conſtantinop.* THEOD. A. VII. & PALLADIO CONSS. 418.

Quantitas ſtatuta ad emptionem frumenti non poteſt minui, nec ad alios uſus converti. Bart.

2. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Leontio P. U.

Auri [49] ſtatuta quantitas [50] ad coemptionem [51] frumentariam perpetuo ſit dedicata [52]: nec liceat cuiquam poſt adminiſtrationem urbicariæ poteſtatis perceptam, aliquid ex eadem ſumma minuere, vel ad quoscumque alios uſus convertere [53]: ſed ſub geſtorum teſtificatione certum fiat, & quod mancipibus [54] mutui [55] nomine datum eſt, & [56] quod ab iisdem ſit excepta omni concuſſione [57] ſolvendum. Eum autem, qui hanc formam auſus fuerit inquinare [58], quantitatem, in qua ſuam calliditatem exercuerit [59], in duplum [60] redhibere jubemus: & quicquid ex prædicta ratione accreverit [61], ad [62] cumulum ejusdem auri quantitatis, & frumentarii tituli firmiter [63] redundare: legisque hujus tenorem æneis tabulis incidi. Dat. 5. Kalend. Decembr. *Conſtantinop.* ARIOBINDO, & ASPARE CONSS. 434.

TIT. XXIV.
DE ANNONIS CIVILIBUS.

Annonæ civiles non dantur pro titulis in dignitatibus, ſed pro meritis. Bart.

1. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA. Proculo P. U. [64].

Annonas publicas [65] non tam titulis dignitatum, quam ſingulorum virorum [66] meritis attributas divi Conſtantini liberalitate

1 Profiteri privatim cuique licet: privatim autem eſt intra parietes domeſticos, *ut hic.* 2 Profiteri in Capitolio ſoliti profeſſores: ubi & eorum auditorium fuit. 3 Al. *Habeant.* 4 Profeſſorum publicorum numerus hic fuit Romæ: linguæ Latinæ Oratores 3. Grammatici 10. Græcæ vero linguæ ſophiſtæ tres: Grammatici 10. Philoſophus unus: Juriſperiti duo. 5 Al. *Grammatici.* 6 *Græcitatis*, *in C. Th.* al. *Græcanitatis.* 7 Sophiſtæ Rhetores Græci. 8 *Profundiores*, *in C. Theod.* Philoſophiæ ſtudium & profeſſionem anteponit Juſtinianus Grammaticæ & Oratoriæ. 9 Profeſſores juris duo Romæ: fit mentio Leontii Juriſperiti & profeſſoris *in C. Theod. & Leonis* apud Sidonium. 10 *Formulas*, *in C. Theod.* 11 Vendere invitum cogi poſſe favore publico & religionis, utpote cujus cauſa & ipſa ſumme publica ſit, hinc colligunt. adde *l.* 12. §. 1. *ff. de religioſis*, *l.* 2. *ff. de his, qui ſui vel. l.* 26. *ſupr. de epiſc.* 12 Profeſſionum publicarum auditorium ſatis indiſcretum fuiſſe, ante hanc legem conſtare ex hoc loco poteſt. Jubet enim auditoria ſeparari, ne diſcipuli ſibi invicem obſtrepant, & ne linguarum confuſio permiſceatur.

13 *C. Theod. lib.* 14. *tit.* 14. *l.* 1. 14 Carrucæ non omnibus in urbe permiſſæ, civili namque vel militari dignitate præditis tantum ſenatoribus eas permiſerat Severus: ut & privatis Aurelianus. 15 Al. *decorati.* 16 *Militarium dignitatum*, *in C. Theod.* 17 Vehicula pro carrucis. 18 Bijugis additur *in C. Theod.* 19 *Pars l.* 6. ꝟ. *de ſacroſ. eccleſ.* 20 Quod induxerant Valentinianus, Valens, & Gratianus, *l.* 1. *C. Theod. lib.* 14. *tit.* 13. *de jure Italico urbis Conſtantinopolitanæ.* Cont. *l.* 1. *ff. de cenſibus.* 21 Conſtantinopolis prærogativam veteris Romæ habet, vide *cap.* 28. *Synod. Chalcedon. Pragm. Juſtiniani ad Vigilium*, *cap. ut fabrica.* adde *Novell.* 131. *cap.* 2. ubi de privilegio Archiepiſcopi Conſtantinopolitani.

22 Metropoles duæ in Syria Phœnice, Berytus & Tyrus: ut in Ponto Amaſia & Cæſarea: *Novell.* 28. ut in Cappadocia, Cæſarea & Thyana. Cætera vide apud Cujac. *hic*, & quæ ſcripſi ad *l.* 29. *in fin. ſupr. de epiſcopali audientia.* 23 Al. *deeſt.* 24 Id eſt, Hadriani, a quo id Paulus Tyrius orator primus impetravit, auctore Suid. vid. Alciat. *lib.* 4. *parerg. cap.* 15.

25 Canon urbis Romæ erat frumentum, oleum, porcina, bubula. Hæc conferebantur a provincialibus populo alendo. 26 *C. Theod.* 14. *tit.* 15. *l.* 2. 27 Al. *notitia annonæ*, ſed Nautici, navicularii & claudicarii ſunt. 28 *Curatorum*, *in C. Theod.* 29 *C. Theod. h. t. l.* 3. 30 Immunitas frumenti & olei non inferendi impetrata nihil valet. *Syn. Baſil.* 54. *tit.* 6. περὶ ἀτελείας *ex tit.* 24. *cap.* 1. 31 Al. *olei*, & ſic legitur in *C. Th.* 32 *Abeſt a C. Th. & quib. al. lib.* 33 *Al.* 16. 34 Martii. 35 *C. Th. hoc tit. l.* 5. 36 *Hac quoque conſtitut. ex* 5. & 6. *cap.* rejectis multis & truncatis conſtitutionibus coagmentata eſt. Extat *in C. Theod. lib.* 14. *tit.* 15. *l. ult.* §. *deinceps ubi.* vide quoque *infr. l.* 1. *tit. prox.* 37 Canon prædiis Romanis impoſitus mutari non poteſt: Qui mutavit, duplum ab ipſo repetitur: qui conceſſit mutari vicarius & judex, deportatur: primates ipſi officiorum capitali ſupplicio adficiuntur. *Syn. ib. c.* 1.

38 Al. *De canone & frumento urbis.* 39 *Eclog. lib.* 54. *tit.* 25. 40 Περὶ ἀννόνων διδομένων τῇ τε κωνσταντίνου πόλει καὶ τοῖς σχολαρίοις. De annonis urbis Conſtantinopolitanæ ac ſcholarium, *Synopſ.* 54. *tit.* 25. 41 *C. Theod.* 14. 16. 2. 42 Ut nulli penitus ne divinæ quidem domui, pro annonis frumentum præbeatur: ſed mancipibus detur, ut domibus cocti panes exhibeantur. *Syn. ib.* 43 Frumentum (quod gratuito Conſtantinopoli præbetur a principe) pro pane, populo præberi non oportet, ſed integrum id quidem mancipibus, id eſt, piſtoribus dandum eſt, deinde populo panis coctus exhibendus, ne ſi frumentum non panis populo datur, id populus in alios uſus vertat facile, & poſtea panem emere cogatur, qui ipſe aliis vendere potuiſſet. Ad hunc modum panes canonicarii canonicis hodie præbentur, & breviter, quod in pane ſolvi oportet, id in frumento ſolvi non poteſt. Corſetus *ſingular. Frumentum.* 44 *Mancipes*, *hic & l.* 2. ꝟ. *h. t. piſtores.* 45 Annonam gratuitam octoginta millium fere modiorum, 2. *Socrates* 1. 3. primus Conſtantinus Conſtantinopolitanis ſuis dedit: ut antea gratuita P. Roman. dabatur. Suidas hunc canonem panes palatinos videtur appellare, forte quod e palatio erogarentur: niſi malis palatinos appellare, quod palatinis darentur. Panum enim alii populares, alii militares. *l.* 7. *Cod. Theod. de annonis civil.* 46 Canonem annonæ gratuitæ, a Conſtantino Conſtantinopolitanis conceſſæ, ut ꝟ. diximus, Theodoſius auxit, *ut hic. l. pen. C. Theod. de annonis civilib.* ut & Martianus *l.* 2. ꝟ. *tit. prox.* ut & Romæ Aurelianus, *teſte Vopiſco*, quæ antea a Trajano & Severo conſtituta. 47 Abeſt a *C. Theod.* 48 Vide *l. ult. ſupr. tit. prox.* 49 Ad frumenti publici coëmptionem auri ſtatuta erat Conſtantinopoli quantitas, ei rei perpetuo ita dicta deſtinataque, ut nefas eſſet etiam urbis præfecto, eam minuere vel in alios uſus vertere. 50 *Id eſt*, 611. *auri libræ*, *ex C. Theod. hoc tit. l.* 3. 51 Frumenti coëmptio συνωνή. vid. Cuj. 1. *obſ.* 39. 52 *l.* 2. §. *quod de frumentario* §. *ſin autem*, *ff. de adm. rerum ad civit. pert.* 53 Frumentum publicum ita emebatur. Pecunia ex arca frumentaria promebatur, teſtato mancipibus, hoc eſt, piſtoribus mutui nomine, hoc eſt, in anteceſſum dabatur. Inde frumento videlicet, ſic coëmpto, piſtores vel frumentum, vel panes reddere cogebantur. 54 Id eſt, piſtoribus, ut *l.* 1. ꝟ. *h. t.* 55 Mutuum hic promutuum eſt, quod videlicet alicui in anteceſſum, *en avance*, datur. *Goth.* Et ideo Græci vertunt εἰς προχρείαν συνωνῆς, qui & *in l.* 40. §. *ſervus. ff. de ſtatulib.* promutuum interpretantur προχρείαν & *in l. ex conducto.* §. *item cum quidam. ff. locat.* promutua ἐν προχρείᾳ Theod. Hermopolites *ad l.* 1. *ſupr. de ſentent. quæ pro eo quod int.* καὶ ἐν προχρείᾳ τὸ μίσθωμα τῶν τοιούτων χρόνων συλλαβὼν τοῦτο. datur ergo piſtoribus pecunia promutua ex arca frumentaria, id eſt, in anteceſſum, ut vel eandem reddant, vel frumentum & panes. dixi in *l.* 15. §. 6. *ff. locati.* Mod. 56 Sed &. 57 Urbanicianus, qui piſtorem concutierit, piſtorum conſortio addicitur. *Mod.* Vid. *l.* 2. ꝟ. *de apparit. præf. urbi. l.* 12. *tit.* 54. 58 *Inquietare*, in *C. Theod.* 59 Pœna hæc eſt P. urbi frumentariam pecuniam in alios uſus vertentis, ut in duplum teneatur, & in id, quod ex ea pecunia lucri fecit. 60 Vid. *l.* 6. *l.* 13. *ff. ad l. Jul. pecul.* 61 Excreverit. 62 Lucrum aſſumit naturam ipſius capitalis. Corſetus *ſingulari Lucrum.* 63 *Fomitem*, in *C. Theod.*

64 *C. Theod. hoc tit. l.* 10. 65 *Civicas*, in *C. Theod.* 66 *Viritim*, in *C. Theod. & quib. lib. manuſc.* quod magis probat Cujacius.